

/ Illustrissime, et Reverendissime Domine mi Colendissime. Odor mansuetudinis, et benignitatis tuae allicit ad tuam Illustrissimam, et Reverendissimam Dominationem, quasi ad locum munitum, et domum refugii omnes plerosque male habentes, et oppr essos aere alieno. Quod si id
5 tibi sit oneri, tibi imputes Illustrissime Domine, qui talis esse voluisti. Ecce P.F. Ludovicus Reydelet Ordinis Tertiariorum S. Francisci, vir spectatae consanguinitatis, et in suo Ordine religioso hactenus valde laudatus, nunc ad Sedem Apostolicam ~~rac~~urrit tanquam ad asylum totius Christiani orbis; egebit, procul dubio, patronis, tuto-
10 ribus, et intercessoribus. Expetiit, et expetit impensissime umbraculum protectionis Illustrissimae D.V., et quia me ejusdem cultorem additissimum cognovit, petiit ut litteris opem istam Vestrae charitatis, Illustrissime Domine, exposcerem. Idque Vestra humanitate fretus facio quam humillime, sciens quia V. Illustrissima Dominatio liben-
15 ter oculus est caeco, et pes claudus; unde etiam illi animum addidi, ut te expectaret sicut pluviam, et ad te aperiret os suum quasi ad imbrem serotinum. Interim manus tuas sacras demissus exosculor, et Omnipotentem Deum supplex oro, ut Dominationem Vestram Illustrissimam manus lassas erigentem, et genua debilia corroborantem quam diu-
20 tissime, et felicissime conservet, ac protegat. Annesii Gebennensium
6 Januarii 1621.

Ill'mae, et R'mae D. tuae

Obsequentissimus, et indignus servus

Franciscus Episcopus Gebennensis.